

~~G. 1124~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

V-37

SIGNAT. MDCCCXIII.

DISPUTATIONEM
SECUNDAM
DE

VIRTUTIS
STIMULO,

PRÆSIDE
M. CHRISTIANO MARTINO

Seelmann/

Leutschoviâ - Hungarò,

Publice proponit

RESPONDENS

SAMUEL MICHAELIDES,

Lignicensis-Silesius.

Ad diem 4. Januarii, 1696.

Horis pomerid.



WITTENBERGÆ,

Typis MART. SCHULTZII, Acad. Typogr.

h. m. 4022



DISERTATIONEM
DE
VIRI
STIMULO,
JANUARI
M. CHRISTIANO MARTINO
GANNON
LEONARDI HUNTER
SARRELL MICHAELIDES
TYPUS





Absolvimus B. C. D. Exercitationem nostram
de virtutis stimulo primam, ex obligatione legis na-
turalis orto, altera hæc sequitur, ex præmio virtu-
tis stimulum ostendens. Virtus licet per se sit expetenda juxta
Poëtam: Ipsa virtus rerum pulcherrima merces Sil. Ital. de B.P.
attamen secundum Juv. Satyr. 10,

Non facile invenies multis e millibus unam.

Virtutem pretium qui putet esse suam.

Pro stimulo itaque alia præmia sunt, quibus virtuosi hoc in mun-
do præ cæteris fruuntur, quæ nunc considerare nostrum esse du-
ximus. Non cassum & frustraneum hunc ominamur laborem,
præsertim cum Bodinus insignis Politicus, quem super astra
Naudæus evehit, L. 5. de Rep. c. 4. p. 348. monuerit: De præmiis
qui scripserit video fuisse neminem. Quod propterea contigisse
puto, quia bonorum magna raritas est, improborum vero innu-
merabilis multitudo: vel quia civitatibus utilius est improbos
pœnarum metu prohiberi, quam bonos præmiis ad virtutem
invitari, cum bonis ac sapientibus veris ipsa virtus magnum per
se præmium esse videatur: vel quod principes præmiorum lar-
gitionem sibi depoposcerunt, ut subditorum gratiam omnibus
modis colligerent: magistratibus vero ac iudicibus dederunt
id, quod erat ingratisimum, pœnarum scilicet irrogationem, ne
suppliciorum acerbitate ab ipsis Regibus illata quicquam de sub-
ditorum erga principes amore ac benevolentia detraheretur.
Accedit quod materies & superioribus & æqualibus non ingrata
videatur, imprimis illis, quibus Patronorum felicitatem penitus
considerare, & simili modo consequi desiderium est. Nemo enim
ait Casus, l. 1. Eth. Qv. c. 1. p. 8. recte pingit, si non adsit exemplum:
nemo recte telum mittit, si non videat scopum: nemo caste vivit,
si non speret præmium. Segnis enim & otiosa est vita humana

Opus est igitur præmiis, ut moveri possit & allici. At movetur & allicietur facilius, si ob oculos ponatur hoc bonum primitus & ceu meta certa præfigatur. Cui instituto DEUS adfit! Virtutis præmium est beneficium virtuoso ob virtutis excellentiam, gratis collatum, ut cæteri per consimiles actiones ad benemerendum de humana societate excitentur.

Virtutis) est denominatio Subjecti definiti. Dicitur quibusdam a virendo, aliis a viribus, Cic. Parad. 2. Huic iterum a viro, l. 2. Tusc. Qu. Ambiguitatem hujus vocis priori Disp. sub voce virtutes inclusimus. Sistimus hic habitum animi & intellectualem & moralem. Philosophus priorem *ἀρετήν*, posteriorem *ἠθικήν* l. 1. Eth. c. 13. & passim appellat. Divisionis causam Cic. l. 3. de finibus agnoscit, dicens: Homo intellectu præditus & appetitu, ad intelligendum atque agendum factus est, quasi mortalis Deus. Est itaque virtus intellectualis, quæ menti inhaeret, eamque perficit, & sunt numero quinque: Ars, Scientia, Prudentia, Sapientia & Intelligentia, quarum ordinem & variationem maxime ventilant Autores asectæ. Vid. Heiderus in Phil. Mor. p. 150. §. & Hubmeyerus Disp. V. Exerc. Eth. Virtus moralis est habitus electivus consistens in affectuum actuumque moralium rectitudine atque conformitate cum lege naturæ & recta ratione. Dividuntur in Cardinales & minores. Plato & Cicero jamdudum eo nomine venditarunt Prudentiam, Justitiam, Temperantiam & Fortitudinem; cur vero ab horum sententia discedamus conf. Doctor noster in Prud. Mor. P. IV. c. V. §. 2. Et hæc displicuerunt Arnoldo Geulinx in *ἠθικήν*, horumque loco alias porrigit, quæ tamen cardinalium nomine venire haud merentur. Ponit Diligentiam, Obedientiam, Justitiam & Humilitatem, quæ primo intuitu tantam inducunt persuasionem, ut facile quis crederet, meliorem fontem inveniri non posse, unde virtutes cæteræ, tanquam rivuli, profluere queant. Ast, si penitus consideremus materialia, novi quidem termini adsunt, sed non res novæ quod Prudentiam concernit. Dicit enim: audienda est ratio, (hoc diligentia) faciendum quod dicit ratio, (hoc obedientia) quid quæso aliud innuitur, quam cum Philosophus Prudentiam per habitum cum recta ratione aliquid agendi, definiverit?

finiverit? ut adeo non videamus, quā ratione prudentiam ex virtutum numero velit excludere, dum dicit: Prudentia manifeste excidit, (viderunt id ante me complures) hæc fructus virtutis & adminiculum. Quā discussione tamen non aberramus Doctore nostro Pr. M. P. IV. c. III. §. 2. contra Novatorem, ejusdem virtutes, cardinales *avvęus* appellatas examinando, agente. Quod Justitiam attinet, quam reservare videtur Geulinx, non est proprietas inseparabilis a virtutis exercitio, si vocis significationem hæctenus usurpatam spectes, sed virtus ipsa; quemadmodum vero Geulinx explicat, scilicet: non plus non minus, sive ut in notis, adæquatio rationis (hoc justitiæ) coincidit quidem cum mediocritate, quæ nobis proprietas virtutis, non virtus ipsa, audit; sed sic falsus est Geulinx dum gloriatur: convenit inter nos de justitia! Humilitatem quod concernit, quam Pandora pyxidem non referendam nominat de virt. card. c. 2. §. 12. ea vult, ut nostrum nulla cura ducamur. Sed hoc esset sine fine, agere, aut agere sine fine peccatum est. Dicit Geulinx in notis sub prima obl. §. 4. Qui humilis est nihil quicquam propter suam felicitatem agit, negamus hoc, siquidem multi propter felicitatem suam agunt & agere debent, cum omnis actio, deliberata præcipue sit propter finem. Ergo nulli sunt humiles qui sua cura ducuntur in agendo? Ergo illi omnes ipsius virtute cardinali, humilitate nimirum, destituuntur? sic se ipsum adversarium nactus est in vivis, cum scripserit: at vero nullum est virtutis exercitium, sine illis quatuor, quas ego cardinales feci! In præfat. ad Lect. libelli citati. Minores virtutes plerumque numerant undecim, Autore Philosoph. 2. Eth. 7. Ad ductum Doct. nostri l. c. §. 4. ab objecto divisionem desumere nobis placet. Dantur nempe virtutes Deum, proximum & nos ipsos respicientes. Quo ipso simul convincimus & Geulinx opinionem: Humilitatem esse virtutem cardinalem, (hujus vero essentiam esse se negligere, omnem sui curam abjicere & resicare inquit l. c.) & dicimus humilitatem nullam esse virtutem moralem, quia semper excludit agentem, ne sit suæ actionis objectum. Ut tamen videant alii, quam parum sibi constiterit in hac sententia, adducimus, quod ipsam virtutem fecerit ultimum virtutis accidentale præmium.

Unde contra Theſin ; Humilitas eſt virtus, ſic argumentamur ;
Si quælibet virtus eſt accidentale præmium, ſequitur quod & illa,
qua agens ſui ipſius cura ducitur, ſive quod idem eſt, quæ
citra depictam humilitatem homini accidit. Atqui prius con-
cedit Geulinx vid. l. c. cap. de præm. Ergo. Hæc ſunto, quæ
ſub voce virtutes in priori Diſput. ex inſtituto tradere promiſi-
mus.

Præmium.) Definitum hoc a præda nomen accepit, ut
vult Varro l. 4. de lingv. lat. Nimis laxè petitum, ſi vocis Etymo-
logiam ſpectes. Pro Synonymo venditare malimus. Non
ſumitur hic pro mercede aut pretio in redhoſtimentum laborum
facto, quæ opifici ex pacto datur, nec pro emeritis, militibus o-
lim ex militari formula ſolutis, unde Atrius Menander de re mi-
litari l. 2: ut Veteranus erit reſtituendus, & præmia & emeritum
capit. Neque latiori ſignificatu lucrum & commodum quodli-
bet ſignificat, unde nec pro ſalario, quod merces ſervitio acqui-
ſita, inter alia quoque ſal habens, & a ſale nomen traxiſſe cre-
ditur Plinio l. 31. nec pro dono ſumitur, quod diſtinguere jubet
ab illo CL. Paulus Pater, Conterraneus noſter multis nomi-
bus colendus, in Symb. XVIII. Arcan. Moral. ſed merito nobis pla-
cet iſ ſignificatus, quo majores antiquis temporibus ſunt uſi.
Quemlibet enim ad rem in certaminibus præclare gerendam in-
vitabant, græcis ἔθλα dicta, unde Athletæ. Certantibus præ-
mium offendebatur. Sic in certaminibus Olympicis, in regione
Elieſium, nõ procul a civitate Piſa & Alpheo flumine, teſte Virg.
l. 3. Georg. Quinque fratres ab Ida Getæ monte in Elidem vene-
runt, ubi Hercules reliquis Pæonæo, Idæ, Jaſio, Epimedi certa-
men rurfus per ludum propoſuit, atque victorem ſerto ex olea-
ſtro coronare conſtituit, quod præmium erat teſte Xenophane
Colophonio. Pythia Delphis capiebant laurum, ut ait Ovid. l. 1.
Metamorph. De Iſthmiorum præmiis vid. Plutarch. in vita The-
ſei & Archias Poeta in Epigr. Nec Nemea ſuo deſtituebantur,
præmio. Lucianus in Diálogo de Gymnaſ. ita mentionem fecit
horum certaminum : In Olympicis quidem ex Oleaſtro, in Iſth-
mæis e pinu, in Nemeis ex apio corona connexa, at in Pythiis ma-
la Deo conſecrata, victoribus erant propoſita. In his præliis præ-
mia

mia & honores magni victores nanciscebantur. Receptus est mos hodiernum, cum Resp. togata æque ac militaris ea distribuatur. Inde præmium militare, quod supra salarium, vel ex præda, vel ex singulari beneficio miles accipiat. Obtinuit usus, ut virtuti præmium accensere debeamus, quamvis nullo egeat honestamento. Proinde Legislatores prisci ad bene merendum de societate cives excitarunt præmiis: Atheniensibus in Theatris *ἀρετῆς* primo loco, de qua videatur Svidas; deind *Σίτησις* seu epulum in Prytanejo, quod sibi non derogandum esse Socrates jocosè credidit. Statuæ quoque præmiorum instar habebantur, in foro ut plurimum erecto, e. gr. Demostheni, Demochari, Lycurgo &c. Etiam coronas distribuere vel Senatuc, vel populus, vel populares, vel tribuni, vel denique peregrini. Idque vel in concione, vel in Senatu, vel in populo, vel in tribu, vel in Theatro ac ludis. Post fatum ultimum monumentis honorabantur in Ceramico suburbano exstructis, ut Psephisma in honorem Zenonis, vid. Diog. Laert. in Phil. vitis. Linquimus ea quæ falcem in alienam messem mittere videntur, & consideramus nostrum præmium; hoc est, vel essentialè, vel accidentale, quam distinctionem suppeditat Geulinx in Tract. cit. & observat, Stephanus Chauvin. in Lex. Rat. sub voce: Præmium. Inquit: ut vir bonus, sive Deum amans, quando quidem legem & rationem amat, a Deo redametur, amore scil. benevolentia; ut sit felix s. ei omnia succedant ex animi sententia, quatenus scil. boni viri propositum nullum est aliud, quam ut id agat, quod ratio jubet, ut pace fruatur, pace inquam illa, quæ potissimum consistit in quiete & vacuitate passionum, sive potius absentia stimuli istius, quem habent passiones ad concitandum & turbandum animum; ut gaudeat hominum amore, reverentia &c. ut colat amicitiam cum bonis, ad essentialè præmium pertinere, in his vero situm esse accidentale præmium, ut vir bonus ametur, honoretur, colatur, regatur &c. Quod hæc ex Geulinx *γνώσις αὐτῶν* desumserit facile nobis subolet, nisi quod unum ex essentialibus virtutis præmiis (ut vocat) omiserit, doctrinam nempe & disciplinam ex ea forsan ratione, quia nimis obscure Geulinx indigitat, quomodo doctrina & disciplina præmiū nomine venire possit; videtur

videtur enim substruere prudentiam, quam fructum putat esse, in loco supra citato. Nostri nunc non est instituti, ut dispiciamus fusius, quam bene huius vel illius sententia de virtutis præmio in medium prolata sit, satis erit, si B. L. ea proposuerimus, quæ rem secundum nostrum concipiendi modum exquisitius explicare videntur. Illud modo præterire nolumus, quod Lactant. lib. 3. de fals. sap. c. 9. observat, dum de S. B. ipsi sermo est; dicit ibidem: S. B. 1. solius hominis sit. 2. sit solius animi 3. sine scientia & virtute alicui non adjudicetur. Si nunc ad primum essentiali virtutis præmium recurramus, facile patet, illud nullum locum hic invenire posse, quia Deus (citra tertiam Lactantii observationem) & alios sine scientia & virtute viventes e. gr. infantes & furiosos redamat, amore scil. benevolentia (hic enim est amor boni, quod minoris quam nosmet ipsos facimus) quibus tamen præmium virtutis haud competit. Reliqua præmiorum essentialium nomine vendita, Lector ingenuus ipse delineabit, & ad Lactantii observationes ducet. Unicum nos statuimus essentiali præmium, hoc est Felicitas Summa, Bonum Summum, Beatitudo, Ultimus finis seu scopus. Distinctionem enim quam movet citra fundamentam Renatus des Cartes Epist. 5. & cum hoc Ludovicus de la Forge, Tr. de mente hum. secundum princip. Ren. des Cartes c. 26. & Anton le Grand. in Instit. Phil. hæc inter vocabula non agnoscimus. Grande de hoc sententiarum divortium procul dubio creditur inde fluere, quia philosophantur homines, ut beati sint. Ut itaque facile largiamur tam amplum inter Philosophos campum nullibi esse, ac si ipsis dicendum est: quodnam famosum illud Summum omnium actionum præmium sit? Athenæus in Deipnos. per XII. Libros multorum recenset varias delicias. Augustinus in Lib. de civ. Dei. c. 1. L. XIX. sic inscripsit: Quod in quæstione, quam de finibus bonorum & malorum Philosophica disputatio ventilavit, ducentas octoginta & octo sectas esse Marcus Varro perspexit. Quid, ut alios taceamus, Aristippus, Epicurus, Zeno, Chrysippus, Cleanthes, Seneca, Plato ex Veteribus; ex recentioribus quid Gassendus, Scharrockius, Morus, Hobbes, Cartesius, Spinoza, Strimesius aliique de S. B. senserint fuse satis & luculenter proponit per Elenchum

Elenchum Doctor noster in Prud. Mor. P. I. c. II. & III. In quaestione,
an sit? conveniunt, ut adeo de hujus existentia dubitare nemo
capere possit ansam. Discriminamus igitur S. B. in objecti-
vum & formale. Prius est infinitum & extra hominem, nempe
Deus; hic esse debet scopus omnium actionum humanarum, hic
affectuum Dominus, hic gaudium & tranquillitas animi; a quo
major recessus, est major ad miseriam accessus: Hic est objectum
nostrae beatitudinis inquit B. Dannhauerus in Auct. Quaest. Mor.
Quaest. II. p. 529. Posterius est finitum & in homine, functio scil.
animae rationalis secundum perfectissimam virtutem, per quam cum
Deo conjungitur. *Ἡ ἀρετὴ τῆς ἀρετῆς*, premium virtutis I. I. Eth.
c. 9. Hanc ubique perfectam, sufficientem, domesticam, con-
stantem, communicabilem, divinam & honorabilem deprehen-
dimus. Si itaque quaeratur, in quonam absolvatur animae ra-
tionalis functio? Resp. partim contemplatione S. B. objectivi,
partim hujus amore. Unde distinctio in S. B. Theoreticum &
Practicum. Illud esse dicunt, operationem animae rationalis se-
cundum intellectualem virtutem & optimam, & perfectissimam
in vita perfecta contemplativa. Vid. in Graffii Prud. Civ. Pars
Comm. C. III. p. 14. Hoc dicit esse Philosoph. I. I. Eth. c. 7. & Pic-
col. grad. 9. c. 27. §. Est operatio animae rationalis secundum
virtutem optimam & perfectissimam in vita perfecta. Notanter
dicit, est operatio, nam cujuscunque actionis moralitas in ope-
ratione consistit. Ergo & bonitas, seu S. B. Operatur vero &
intelligendo, & volendo. Intelligit nimirum practice, vel per
representationem, vel per judicium, Ergo sensus penitus ex-
pirat, non obstante, quod cognitio nostra in plerisque a sensibus
incipiat; incipit quidem a sensibus, sed non absolvitur sensibus;
sensus enim non sunt proportionati ad voluntatem, quae po-
tentia spiritualis est, juxta Doct. nostrum P. M. P. II. c. II. p. 66.
Vult. i. e. appetit, quod intellectus practicus bonum sentit, &
aversatur, quod iste tanquam malum apprehendit. Hoc ipsi
Geulinx est amare Deum, amore scil. obedientiae, hoc est facere
& omittere, quod jubet & vetat Ratio, ut explicat Tract. I. §. 2.
I. c. quo ipso suam sententiam de S. B. satis aperte demonstrat, in-
B

de hic cum ipso acquiescimus, & hanc felicitatem præmium virtutis essentialè pronunciamus. Hoc vero præmium adeo sterile non est, sed bonum est fœcundum, non quidem ut Mater in procreanda prole sibi ipsi simili, sed facile convenientissimã cum sole similitudinem nobis offert. In sole, secundum naturæ scrutatores, datur ignis, lux, radius & splendor. Ignis & lux indivulso quodam nexu solem comitari videntur, radius & splendor non item, quod visui traditur in accessu & discessu ipsius solis. Sic Felicitas duos inseparabiles effectus non impediendos quasi parit, Conscientiam scil. bonam & voluptatem honestam. Per accidens vero fit ut honoribus, divitiis &c. fit conspicua, quemadmodum sol non semper suos nobis largitur radios & splendorem, ob nubecularum frequentiam. Perkinsius in Anatom. Hum. Consc. c. i. p. 1. Conscientiam in genere putat esse partem intellectus, sed quam male observat B. Martini Disput. 6. ἐὸ δαμνοῦν. Th. 1. q. 3. Et dum Doctor noster eam per iudicium intellectus practici, de factis nostris vi memoriæ obversantibus, testificans & sententiam ferens P. 1. c. V. §. 3. definiat, videmus, quot hujus sententiæ non adstipuletur. Hæc conscientia in bonam & malam dispescitur. Bona nostræ considerationis est, hæc dicitur iudicium intellectus practici, quo cogitata dicta & facta nostra cum regula sua, convenire certo novimus & recordamur, iisque nos erigimus & solamur. Exinde liquet, bonam conscientiam non esse partem beatitudinis humanæ, quam controversiam affirmando movet Clemens Timplerus Eth. gen. lib. 1. c. 4. q. 3. Rationes, quas addit, duæ sunt: Primo dicit: Beatitudo non potest esse sine bona conscientia; Secundo: quia mala conscientia est pars miseriæ humanæ, Ergo Bona conscientia est pars felicitatis humanæ. Nulla in utroque argumento vera est. Ergo falsa Conclusio. Voluptates, quas Cic. 2. de fin. & 2. Fusc. Plutarchus in libello, & quod secundum Epicuræos ne svaviter quidem vivi possit, dulcedines, svaves motus & titillationes nominant, quæ e. g. ex auditu musicæ. fabulæ &c. ex visu picturæ, virginum formosarum &c. ex olfactu unguentorum, herbarum lascivarum &c. ex gustu cibi, potus &c. ex tactu frictionis, libidinis &c. veniunt, nec hæ, nec illa, quæ theoretica alias dicitur, ad nos spectant, sed

sed ea, quæ subita & non impedita complacentia est, quam vir bonus ex honesta actione percipit. Disquiritur hic: an voluptas sit bona per se, an vero per accidens? an pleræque voluptates bonæ sint an malæ? an bonæ voluptates loco Summi Boni sint ponendæ. Tertiam Quæstionem non tangimus, cum satis evidens sit nostra expositis sententia. Secundam affirmativam substruimus. Primam vero respondemus, quod omnino hæc voluptas sit bona per se, quia consequens est infallibile Summi Boni. Ut adeo facile dubitantibus: an vita propter voluptatem sit, an voluptas propter vitam? ex superfluo demus, quod voluptas sit propter vitam. Accessorium enim sequitur suum principale, JCu dicunt; cum itaque voluptas bona sit, & accessorium S. B. necesse est, ut principale suum, ceu Ens bonum per se, indivulso quodam nexu sequatur. Ex his dictis ultrofluit: Quod veræ & bonæ tantum voluptates sint, quæ tales a bono viro habentur, cui sententiæ Philosoph. l. 10. Eth. c. 5. adstipulatur. Radii in sole sunt instrumenta, per quæ nobis communicatur splendor. Felicitas summa suis claret radiis, puta (1) libertatem, quæ facultas actiones virtutis facile & expedite omni loco & tempore nec non in omne objectum sine impedimento exercendi, (2) ingenii dotes (3) Sanitatem, quorsum ducitur corporis robur, sensuum vigor, pulchritudo. Eam videlicet corporis dispositionem, in qua nec doloribus cruciamur, nec in vitæ actionibus expediendis retardamur, sanitatem nominamus vid. Ariff. P. 1. Rhet. c. 5 & Scaliger Exerc. 365. & Scultetus l. 2. Eth. cap. 4. quam descriptionem non scientificè, sed *παχυλῶς ὡς ἐν πάροδοι* Ethicus affert. Consistit vero in convenienti humorum qualitatumque omnium temperamento & conformitate rectaque membrorum proportione. Conf. Doct. noster P. M. P. l. c. 1. P. 5. ut adeo Virgilius l. 5. Æneid 314. recte cecinerit: Gratiores est pulchro veniens e corpore virtus. Quem sic reprehendit Stoicorum Princeps Epist. 66. Errare mihi visus est qui dixit: gratior est &c. Nullo enim honestamento eget ipsa & magnum sui decus est & corpus consecrat. Potest ex casa vir magnus prodire, potest ex deformi humilique corpusculo formosus ani-

mus atque magnus. Ast excusandus omnino Virgilius, qui scilicet non ad id, quod fieri potest, sed quod bene fit & melius, respexisse creditur. Pulchritudo enim non tantum bona est in se, sed & ad bonitatem suam bonorum oculos invitat. Huic responso Philosophus l. i. Eth. Nic. c. 8. §. ult. assentitur dicens: non affluentissime beatus est specie prorsus teter & monstrosus. Splendorem jactitant præmia externa, prout Sol suum per totum orbem sparsum. Eminent præ aliis accidentalibus præmia possessionis, divitiæ nimirum, (has enim dignitates facile sequuntur) sub quibus Philosophus l. i. Rhet. c. 5. nummorum, regnorum, locorum suppellectilium, pecorum, servorum possessiones securas liberales & utiles comprehendit, simulque indicat, τὸ πλεονέχον ὄντι ἐν τῷ χρῆσθαι καὶ λαβεῖν, ἢ ἐν τῷ κερτῆσθαι. Dividuntur vero communiter in naturales, ut cibus potus &c. in artificiales, ut permutationes, commercia, (quorum mensura nummus est) in mixtas, ut habitaculum, vestes, &c. Controversiæ, an divitiæ per se bonæ sint, affirmando respondemus. Præmium per accidens est dignitas, quam in majorem & minorem distribuit Doctor noster l. i. §. 13. Illa honorem & gloriam, hæc laudem & famam complectitur. Cui distributioni Kekermannus præmittit dignitatem in generalem, quæ cuivis homini propter virtutem obvenire possit, & specialem a Philosopho ἐν τῷ ἰστέον τῆς ἀρετῆς l. 2. Rhet. c. 15. dicta, de hac ejusque distinctionibus fusius Politici. vid. Bodin. de Rep. l. 3. c. 8. Kekerm. præcogn. Eth. pag. 33. Plutarch. de educ. lib. p. 20. Generalem iterum in majorem & minorem, ut supra dicebatur, partitur. Dicendum itaque de honore, & gloria brevibus. Conveniunt honor & gloria, tum fundamento, quod excellentior virtus est, tum genere, quod dignitas est; tum objecto, & vivis & mortuis competit; tum subiecto, sunt enim præmia accidentalia; tum fine, quia utrumque ad benemerendum excipit. Differunt vero adjunctorum respectu, tum loci, honor in uno loco, gloria in multis simul palatiis, tum temporis duratione, honor enim dum exhibetur saltem conspicuus est & mox evanescit, gloria manet; differunt objecto, honor præsentium tantum, gloria & præsentium

um

um & absentium præmium est. Minoris itaque momenti sunt quæ disceptando volvunt Piccol. gn. 8. c. 32. Casus specul. lib. 1. c. 5. & Sagittarius Exerc. eth. 12. th. p. 299. An honor honorantis sit an honorati? Resp. nos, illius cuius præmium est, cum itaque honoratus nanciscatur, honorem, utique illius erit. Restat Minor dignitas quæ laudem & bonam famam complectitur. Laus est dignitas minor, ob habitum virtutis minus excellentem a paucioribus tributa: Bona fama a bonis etiam ignotis ob vitæ integritatem & scelerum immunitatem nobis tribuitur. Ad præmium accidentale ultimo ducimus amicitiam, quæ ex amore virtutis oritur. Vir enim bonus alterum ob virtutem honore judicat dignum, honoratus perpendit, quod honorans non sine fine honoris signum obtulerit, finis vero quem respexit honorans, est honor sive præmium honorati; ob hoc delatum præmium exsurgit in ipso amor, qui virtutis dicitur, hic cum honorantis amore conjungitur, & mutuus amor existit, quæ amicitia est, quibus dirimere conamur eorum, item: an amicitia virtus, an minus, sit? conf. Heiderus in Syft. Phil. Mor. p. 958.

Beneficium.) Hoc nomen generis signo venit, & apud civitatis ætatis scriptores prædium fiscale audit, quod a Rege vel Principe viro Nobili ad utendum in vita conceditur, eo, quod talis ex mero dantis beneficio ac liberalitate illud possideat. Sic A. Gellius dum ipsi de beneficio & liberalitate sermo est Lib. XVII. p. 65. inquit: beneficus est non qui beneficia fœneratur, sed qui benigne facit, nulla tacita ratione ad utilitates suas redundante. Nunc abstracti & concreti par est ratio, ut adeo facilius sentiamus quo sensu definitum sumatur.

Virtuoso.) Objectum personale. Non intelligitur hic unus ex famosis illis in Parnasso Assessores, de quibus quantum rei literariæ nocumentum peperere vid. David Abercrombii Fur. Academicus p. 229. seq. sed virtuosus hic audit, qui juxta legem naturæ & rectam rationem affectus & actus morales dirigit.

Est

Ob virtutis excellentiam.) Est objectum reale. Stoicorum decre-
tum. *ἡ ἀρετὴ ἀμειψήματα ἕτερον καὶ ἑαυτὴν αἰσίου* apud Cic. in Par.
Sect 3. contrarium nobis deprehendim⁹. Quibus favere novi-
mus Arnoldum Geulinx l.c. Tr. 2. §. 3. inquentem: Virtus æ-
quabilis i. e. virtutes inter se sunt æquales, nulla est alia major
minorve. In sequentibus dicit: Etiam si vero virtutis officia
alia virtute non majora ungentioraque sunt aliis, alia tamen
virtus alia virtute non major; si enim hoc foret minor virtus
non virtus, sed vitium esset. Sed qualis argumentatio? si
una virtus altera est major, sequitur, quod minor sit vitium!
absurdum! Stoicos quidem Lipsius excusare tentavit Manu-
duct. ad Phil. Stoic. lib. 3. disp. 4. quod virtutes in se ipsis
non in materie considerant, easque in summo. Ast, si Stoi-
cus ille Arnold⁹ Geulinx examinandus esset hoc in asserto, Li-
psii conatus periret. Addo quod Autor ipse sibi non constet C.
II. de Justit. §. 3. obf 9. ubi in Schemate quadrato duas virtu-
tes Religionem scil. & Masculam pietatem sistit, ac satis a-
perte declarat, unam altera majorem esse. Præterea Carti-
dinales quatuor concedit, ut adeo argumentum Autoris hy-
potheticum per se ruere oporteat. Altera ratio, qua virtu-
tum excellentiam destruere studet, hæc est: si alia virtus a-
lia virtute major sit, a fortuna dependeat necessum est, opti-
musne sim an deterior? Resp. non distingvit prius à forma-
li. Per virtutem nos omnes sumus meliores, per vitium dete-
riores a formali, nunquam per fortunam, attamen casu, for-
tuna, occasione, ex accidenti meliores sive deteriores sumus a
priori, prout vel virtuti vel vitio adharemus. Absurda igitur,
quæ de suo colligit & conqueritur Autor, virtutis unius
præ altera non feriunt excellentiam.

Gratis collatum.) Hoc ipso formale præmii traditur. Da-
tur gratis non frustra, unde scimus, quod vitiosi homines
non gaudeant præmiis, frustra enim accipiunt, divitias, hono-
res &c. Notamus exinde virtutis Dominum & ejus vicarios
præmia distribuere posse. Essentiale præmium, & quæ in-
divulso nexu sequuntur, DEUS decernit, præmia acci-
denta-

dentalia Majestashumana. Hæc enim summam dignitatem consecuta aliis splendorem, suo tamen non parem, ut sol astris cæteris, communicat. Hæc in manu habet privilegiorum & ærari dispensationem, unde immunitates & largitiones publicas depromit, ut loqui amat Bornitius L. 1. p. 24. de præmiis. Et si Magistratus sive privatus quidam de jure conferendi præmia gloriaretur, id nomine Principis fieri notum est. Quid & quantum civitatibus Imperialibus in his competat vid. Andr. Gail. l. 2. obs.

Ut cæteri. Homines scil. & adulti & juniores, qui nempe annos discretionis sunt ingressi. vid. Dissert. prior nostra sub nota: Omnibus Hominibus.

Per consimiles actiones.) Consimilis actio est, quæ secundum rectam rationem & legem naturæ in quocunque statu & genere homo sit, suscipitur. Non solum perveandem actionem acquiritur præmium, alias statuumdum esset, quod sufficeret ad consequendum quodcunque præmium unica virtus, ut si quis e g. per prudentiam singularem nobilitatis insigne nactus fuerit, sequeretur, quod alia virtus eo non esset digna, aut quod non possit illud consequi? sic consimilis actio est, si quis Heroica virtute præditus, in Rep. claret, nec minus ille, qui Magnificencia & Liberalitate gloriam suam promovet. Uterque enim juxta rectam rationem & legem naturæ morales actiones regit & ducit.

De societate humana) Est determinatio finis definiti præmii. Societas Politicis duplex est, simplex & composita. Sub simplici notamus nuptialem, herilem & paternam. Ad compositam refertur familia, pagus, civitas. vid. Cellarii Polit. l. 1. c. 2. §. Dicitur inde, quod homines propter utilitatem communem socii fiant, unde publica res, ad populi salutem spectans provenit. Cum igitur humanam societatem dicimus, Rempublicam ipsam, quæ ordo civitatis, cum aliorum Magistratum, tum præcipue illorum, qui summam habent potestatem utilitatis gratia, non intellectam volumus sed societates eas, sive simplices sive compositas, ex quibus denique provenit hæc vel illa Respublica.

Ad

Ad bene merendum excitentur.) Finalis hæc causa
est collati præmii. Benemereri potest, qui honestis actio-
nibus, vel jucunditatem, vel utilitatem pro fine habet. Dfi-
quibus vid. B. Dannh. l. c. Quæst. CVII. Quinam potise-
mum præmiis affiendi? Nos DEO Ter-Opt. M. qui felici-
ter hanc explicare materiam concessit vires, humillimas
agimus gratias, hæc & alia virtutis præmia Le-
ctori Benevolo cordicitus appre-
cantes.

SOLI DEO GLORIA!



21 mg. VI 37


ULB Halle
003 913 872 3




Sl.

V3 17







UTATIONEM
SECUNDAM
DE

TUITIS

MULO,

PRÆSIDE
IANO MARTINO

Seelmann/

noviâ-Hungarò,

ublice proponit
ESPONDENS

MICHAELIDES,

nicensis-Silesius.

em 4. Januarii, 1696.

Horis pomerid.

TTENBERGÆ,

SCHULTZII, Acad. Typogr.

h. III. 4022